

1676.

1. 2. Koenig, Joh. Adam: De jure finium, ex pandectis
Talmudicis, Titulo Hammecattel, aliisque Hebrae-
orum jurisconsultis eruto. 2 Exempl.
3. Leiser, Wilhelm: De deposito.
4. Lysen [Leiser], Wierh.: De electoratu Bohemiae.
5. 6. Leiser, Wilhelm: De aquae pluviae arcandae
actione. 2 Exempl.
7. Martini, Werner Theodor: Oratio panegyrica solennis,
qua duplex quaestio juris resolvitur.
8. Martini, Joh. Christoph: De jure excusationis tuto-
rum et curatorum.
9. Naevis, Joh. Carolus: De jure gentium Justinianeo.
10. Naevis, Joh. Carolus: De terminis fetalibus.
11. Nerger, Frachim: Disputatio juridica ad l. ex imper-
fecto 23 D. de legatis III.
12. Nerger, Frachim: De arbitro compromissario et
judicibus austriacis.
13. Nerger, Frachim: De modis quibusdam secure proceden-
di in iudiciis. 1 Exempl.

1676.

14. Norges, Joachin: De usucapionibus

15. Schleunstein, Gotofr. Nic.: Dissertationes juridicae

ad I. l. Tom. de intercessionibus.

16. Schleunstein, Gotofr.: De fidejussoribus.

17. Schleunstein, Gotofr. Nic.: Dissertationes juridicae

ad l. incivilem 2. C. de furtis.

18. Schleunstein, Gotofr. Nic.: De feloniam curatationis

19. Schleunstein, Gotofr. Nic.: De captivitatibus. ^{2 Exempl}

20. Schleunstein, Gotofr. Nic.: De contractu emphyteutico.

21. Strauss, Gotofredus: Dissertationes juridicae ad

lib. XVIII D. selectiores quasdam leges.

22. Strauss, Gotofredus: De actuario.

23. Strauss, Gotofredus: De infirmitatibus

solida.

24. Strauss, Gotofredus: Dissertationes juridicae.

ad lib. XLVII. tit. I. . . .

1676

25. Strauchius, Gotofredus: Dissertationes juridicae ad l.:
quod pupillus 44. P. de Cond. Fidei.

26. Wendeler, David: De Julico.

1677.

1. Berger, Jo. Henr.: Fara interdicti Salviensis.

2. ^a Fugmann, Joh. Christoph: De jure et acquiritate

2. ^b Kirchner, Georgius Caspar: De originibus Habspurgico-

3. Leiser, Wilhelm: De emptione venditione Austriacis et

4. Leiser, Wilhelm: De modo vocandi in jus

veteri et moderni.

5. ^a Leiser, Wilhelm: De commodato et ex eo

5. ^b descendenti bus obligationibus et actionibus

6. Lossius, Franciscus: De salivae natura et usu.

6. Martini, Werner Theodor: De injuriis, Tam

Reali, quam verbali; Scripta simpliciter et

favori libello

7. Naevius, Joh. Carolus: De gerada Saxonica.

8. Rochreusen, Christiaan: De actione metus

majoris mali edita.

9. Scharfius, Fr. Ferd: Auctores juris civilis

et canonici.

Hohenzollernico-
Brandenburgico

1677.

10. Schleuniger, Godof. Nic.: De compendis naufragiorum.
11. Sommer, Kaspar: Onophagiam Silesiorum repellent. . . et Jo. Georg. Gottschalek.
12. ^{n. 6.} Straunius, Godof.: Dissertationem juridicam ad l. penult. § 17 Paul. de legat et fidei. II de clausula cardinalari. . . defect. . . 2 Exempt.
13. Straunius, Godofredus: De jure salariorum.
14. Walther, Michael: Thematia mathematica.
15. Wendler, David: De rectore academiae.
16. Ziegler, Kaspar: De jure viarum publicarum.

368
1076
Aze
M
DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURE GENTIUM
JUSTINIANEO

Ad l. i. §. penult. & ult. & IV. LL. seqq.
ff. d. J. & J. 4

Quam

Concedente MAGNIFICO JCTORUM, qui hic est,

ORDINE

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS CAROLI
NÆVII,

J. U. D. ac Curia Electoralis Protonotarii,

*Preceptoris sui atq; studiorum promotoris observanti
cultu colendi,*

Publico literatorum Ex amini ad Diem XI, Octobris

In Auditorio Jctorum

summittet

JOHANN CHRISTOPH Gleichmann /
Dresd.

WITTEBERGÆ,

Typis MATTHEUS HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXVI.

Patribus Patriæ

V I R I S

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis Spectatissimis

Inelytæ Reipublicæ Dresdensis

CONSULIBUS
PRÆTORIBUS
SCABINIS

ac

SENATORIBUS

DNN: Meccœnatibus, Patronis ac Promotoribus
Suis Colendisimis

*Exercitium hoc Academicum cum devoto
observantia cultu*

Sacrum esse jubet

Respondens.



I. N. 7.

§. I.



Eum in productione rerum.

successivum quasi ad perfectionem progressum fecisse divina nos docent Oracula: nam macrocosmo conditō vegetabiles & sensitivas creaturas prodire iussit subsistens demum in hominis formatione, qui fuit quasi summa atq; finis totius operis: Summa; quia omnium in

eo creaturarum perfectio & pulchritudo concurrebat; finis vero, cum propter eum quælibet res creatæ productæ essent, non quidem ut in hōc, ceu ultimō fine, totius creationis vis terminaretur; sed ut homo tandem Creatorem omnium, laudibus pro eis eveheret, prædicaret & debitè veneraretur, cuius causam inter alia sat uberem & abundantem rerum creatarum usus & inexhaustæ earum utilitates suppeditabant.

§. 2. Verum ad hunc finem assequendum non sufficere videbatur, ut homo rationis & orationis mysterio & ministerio solum instructus esset, sed præterea in eo desiderabatur insita quædam sapientia & sanctitas, quo sic cultum suum Creatoris voluntati conformare sciret & valeret. (Siquidem quis imperata alicujus facere non potest, nisi speculativam eorum cognitionem prius habuerit.) Quapropter divina providentia hominem Sapientiæ, Justitiæ & sanctitatis divinæ participatione dotare dignata est, ex quo Imperium & voluntatem Creatoris sui homo extemplō animadvertere, voluntateq; liberrima beneplacita ejus exequi potuit.

§. 3. Atq; ex hoc resultavit lex illa Dei æterna & immutabilis, hominiq; naturalis facta, quæ dicitur à Deo in cor-



da nostra scripta, ut dirigat & obliget actiones nostras morales ad rectè vivendum & congruentem ei cultum exhibendum.

§. 4. Ut autem illud lumen intellectus nostri nimirum quantum in nobis per lapsum obscuratum sit, ut beneficiò ejus neque amplius Deum rectè cognoscere, neque Eundem ritè colere valeamus; adhuc etiam reliquas naturæ vires infinite propemodum debilitatas experiamur, propterea tamen legis ejus existentia non prorsus in nobis deneganda est, nec eò dilabendum cum Philosopho *lib. 3. d. Anima. c. 4* ut dicamus intellectum hominis ad instar tabulæ nudæ atque rasæ esse, in qua nihil scriptum reperiatur, inibi tamen quævis inscribi possint. Nec nobis persuaderi patiamur à Carneade jura sibi homines utilitatem secuti sanxisse varia pro moribus, Justitiam autem & Jus naturæ nullum esse. *vid. Grot. d. J. B. & P. proleg. §. 5. Ibiq. Oslander. obs. 1. p. 37* Neque etiam cum quibusdam Moralistis credeudum, homines notitiam de Deo, deque honesto ac turpi saltem ex creaturarum speculo, sensuum exercitio & rationis discursu per actum intellectus elicitem hausisse, naturalem autem horum scientiam nullam esse. Nam cum adhuc ita comparati simus, ut pro arbitrio ad bonum vel malum nos queamus convertere, illud autem Deus diligat, & hoc abominetur, necesse est, ut adhuc aliqualem scientiam normamve directivam actionum nostrarum insitam habeamus, quæ virtutem, quæ Deo placet, sub specie boni naturam cognoscere & amplecti, ac vitium, quod ei displicet, sub specie mali discernere & averfari valeamus: cum aliàs coram Deo excusabiles esse, & ignorantia prætextu impunitatem turpium factorum nobis facile polliceri possemus, quod tamen non modò expressè negat Apostolus *Rom. 2. v. 15.* sed & insuper in corde hominis sedem quasi judicalem positam esse dicit, ubi ob bona vel mala perpetrata conscientia nos aut patrocinante defensione excuset, aut justam redargutionem accuset, quò ipsò principia practica & legem Naturæ liquidam in nobis facit, quam hinc non immeritò quidam gubernatricem & judicem morum honestæque disciplinæ nominare amant.

§. 5. An-

§. 5. Antequàm verò de hoc jure Naturæ principaliter ita dictò, quod hominum proprium est, plura differamus, è re erit, ut prius de jure Naturæ analogicò, quod commune omnibus animalibus dicitur, quædam interferamus. Tale autem dari extra dubitationis aleam ponimus. Nam sicut Deus ab æterno ideam quandam rerum creandarum earundemque gubernandarum in mente suâ æternâ habuit, ita & postea cuique rei creatæ characterem ejus conceptus, ceu regulam sui directivam ad finem propositum impresit, quæ Regula partim hominum & animalium communis est, & in facultate sensitiva radicata principaliter actus ad corporis nec non speciei conservationem incitat & dirigit; partim hominum propria est, & in eorum ratione fundata homines ad moraliter justa agendum instituit.

§. 6. Illius meminit Imperator Justinianus in *l. 1. §. 3. ff. d. 7. §. 7. §. 1. J. d. 7. N. G. & Civ.* definiendò, quod sit jus, quod *Natura omnia animalia docuit*, hoc est, quod natura naturans, Deus, omnium animalium appetitui sensitivo ad sui & speciei conservationem impresit, illudve jus non humani generis proprium, sed commune est omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in terrâ, quæ in mari nascuntur.

§. 7. Cujus exempla proponit Imperator Justinianus *d. l. 1. §. 3. ff. d. J. §. 7. §. 1. J. d. 7. N. G. & C.* Quid enim est conjunctio Maris & foeminae, nisi actus naturæ, per appetitum sensitivum ad speciei conservationem elicitus, homini non minùs atque bestiae ingentis, hæc tamen differentiâ intercedente, quòd homo impetus & inclinationes eas ad dictam conjunctionem aliosvè actus naturales moderari possit, bestia verò impulsu appetitus sui sensitivi citra gubernationem aliquam sequatur. Sic liberorum procreatio, educatio, defensio idem fundamentum agnoscunt.

§. 8. Neque moramur objectionem, si quis dicat, moderamen rationis homini esse naturale, nec ejus actiones à nudâ directione facultatis sensitivæ dependentes & brutorum actibus respondentes ab aliis discerni posse. Evenit enim quandoque, ut in homine rationis exercitium vel ob imbecillam

lam ætatem 'ceu in infantibus, lateat adhuc', vel ob morbum vel alium affectum, velut in furiosis, ebriis & similibus impediatur. Igitur his casibus actus magis diriguntur per facultatem sensitivam, quia ratio à diversis affectibus quodammodo captivâ tenetur, aut ob organorum imbecillitatem vires suas exferere nondum valet. Non enim tales personæ tunc intelligunt quid agant, nec verè velle possunt, quod expediunt, & propterea actiones ab iis prodeutes propriè neq; justæ neque injustæ appellari merentur, quoniam hæc qualitas ab intellectu integritate & voluntatis libertate dependet.

§. 9. Undè fit, ut si tales personæ damnum intulerint, pœnâ ordinariâ non plectantur, sed æquè ferè, ut cætera animalia, modò aliò coerceantur, id quod liquidò testatur Ulpianus in l. 5. §. 2 ff. ad. L. Aquil. qui furiosum & infantem non magis si damnum dederit, legis Aquiliæ actione teneri scribit, atque si quadrupes damnum intulerit, aut pauperiem fecerit: nec non Modestinus in l. 12 ff. ad. L. Corn. d. Sic: dicit infantem vel furiosum, si hominem occiderit, Lege Corneliâ non teneri. Item Arrius Menander Jctus, l. 6. §. 7. fin. ff. de Re milit: docet, quod per vinum lapsis capitalis pœna remittenda sit: Et Martianus quoque l. 11. §. 2. ff. d. pœnis distingvit inter delictum ex proposito, aut casu, aut Imperu, velut per ebrietatem commissum, quod ultimum lenius puniri soadet. Impetuosa enim actionis principium Jus Naturæ commune & facultas sensitiva, non recta ratio est, quâ noscatur, quid rerum agatur.

§. 10. Quod autem furiosi & infantes virgis quandoque coerceantur, aut summè ebrii pœnâ extraordinariâ plectantur, id non fit quod isti justè deliquerint, hoc est injustum formaliter fecerint, sed ut recordatione doloris in phantasiâ eorum impressi in posterum ab iis detrimentosis factis abstineant, neve alii malefactorum patrocinium ex impunitate petere audeant, non minùs ferè, ac equum deviantem aut canem mordentem virgâ aut fuste corrigere solemus, quod tamen propriè pœna ob legis transgressionem imposita dici nequit.

III

In infantibus verò gradus & diversas qualitates agnos-
cimus, cum rationis moderamen maturius in quibus-
dam subjectis se prodere soleat. Ebrius demum ex-
traordinariè punitur, quia culpâ non vacat qui justò libera-
lius potandò ebrietatem sibi conscivit, ubi tamen singulæ cir-
cumstantiæ accuratiùs perpendendæ erunt.

§. 11. Verùm enim verò, quòd supra quorundam & in-
fantum imprimis actiones diximus propriè neque justas neque
injustas esse, id expresse restrictum volumus, quatenus actio
eorum προαισθητική non Ουπική consideratur, hoc enim modò
à corrupta naturâ inclinationes & actiones utique vitiosæ
prodire possunt, cuius indicia sunt ira, impatientia, relucta-
tio in bonò, fastidium & similes pravi motus, quibus infan-
tes etiam ante annos discretionis obnoxii sunt. Hoc verò
respectu, quò actiones ex sincero proposito aut dolò malò
æstimantur, parvuli justè vel injustè verè agere non possunt,
quia normam directivam aut aliam indicativam justè & inju-
stè, ob defectum rationis maturioris percipere nequeunt, sed
simpliciter naturales impetùs & inclinationes suas sequuntur.

§. 12. Licet verò evictum sit, esse aliquod Jus in faculta-
te sensitivâ radicum, quòd homines cum brutis commune
habeant, rectè tamen id supra analogicum tantùm jus vocavi-
mus, nam in homine illud rectè rationi seu potius rectitudini
rationis tanquàm veræ normæ & juri substernitur, adeoque hu-
jus objectum est, & nequaquam peculiarem normam consti-
tuit. Ut in terminis Magnif. D. Ziegler disserit *ad Grot. lib. 1.*
cap. 2 princ. Animalia verò cetera dum per illud diriguntur,
neque verè de fine & mediis actionum suarum ratiocinari va-
lent, neque ita domini sunt earum actionum, ut objectò præsen-
te & positò omnibus ad agendum requisitis illas suspendere
possint, sed ipsa naturæ suæ non oportet non obtemperare, vel
fugiendò objectum vim inferre solitum, vel prosequendo id,
quòd appetitui sensitivo eorum convenit. *vid. Franzk. ad ff. d. 7.*
§. 7. n. 104. seqq. Dn. Conring. Dissert. d. Jure, lib. 13. seqq.

§. 13. Alterius verò propriè si dicti Juris Naturæ homo
solus compos dici meretur, quia hic impulsus & imperus na-
turales

turales regulamq; menti impressam non modò per rationem animadvertere, sed & libere eos ad regulam dictam vel accommodare vel deflectere potest, quæ tria, intellectus scil. juris, iudicium & libera ei obsequendi vel resistendi facultas qualificant subiectum, ut veri juris capax sit?

§. 14. Descriptum hoc reperimus à Justiniano *l. 1. §. 4. ff. d. 7. §. 7.* quòd sit Jus quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes Gentes per eque custoditur, Proindeque Jus Gentium appellatur, quasi quo Jure omnes Gentes utuntur. Non enim putamus Jus Gentium ullum immediatè dependere ab arbitrariâ hominum determinatione, ob communem utilitatem & necessitatem ab hominibus introductum, sed hoc ipsum totum divinum, hominibusq; naturale esse factum censemus, ut non possint, non ad sui & socialem statum conservandum, talia vel talia conclusa facere, dummodò in sequiori post lapsum statu animum ad id sedulo intendant, nec ipsi animadversionem eorum dictaminum impediant. Et Istius Juris Gentium etiam Imperator in toto Jure Civili mentionem fecisse videtur, quod infra pluribus deducemus. Jam autem apertius Jus naturæ aut Gentium describi posse arbitramur; Quod sit dictatum divinum, mentibus hominum insinuat, dirigens & obligans eos ad moraliter honesta faciendâ turpiaq; fugienda. Genus salvat Imperator *§. singulorum, Inst. d. rer. divis.* dum Jus hoc cum ipso Genere humano rerum naturam prodidisse dicit, cum quo illud Ciceronis *lib. 2. de Legib.* convenit, Jus naturæ dicentis neq; hominum ingenii excogitatum, neq; scitum aliquod populorum, sed æternum quoddam esse, quod totum mundum regat, imperandi prohibendiq; sapientiâ, Imprimis etiam Plato illud nervosè descripsit, scribens, esse vivum characterem, & effigiem ejus ideæ, quæ est in mente Dei, sed in hominis animo impressum, nos ad bene agendum excitans & dirigens.

§. 15. Dirigere autem illud & obligare mentes humanas dicitur, quia in his imprimis officium legis adæquantum consistit; Qualis dirigendi vis dependet à voluntate Legislatoris; Namq; tria in omni lege constituenda penes hunc concurrere debent. 1. Iudicium practicum in mente illius ali-

quid

quid ex usu publico fore, cuius vicem hic supplet Sapiencia
Dei aeterna, quae vidit homines citra Jus tale honeste vivere
non posse. (2.) Voluntas Nomothetica, subditos sibi obli-
gandi eorumque actiones per legem talem ad finem proposi-
tum dirigendi, quae duo Jus intrinsece constituunt *Franzk ad ff.*
d. 7. § 7 n. 87. atque instar animae verba seu dictata ejus vivifi-
cant, & (3) Imperium subditis promulgatum, quod alias ver-
bis aut literis declarari solet, & extrinsece Juris constitutio-
nem accedit; hic vero per dictata divina hominum mentibus
communicata manifestum est.

§. 16. Demum finis hujus juris est, ut moraliter honesta
faciamus turpiaque fugiamus. Moraliter autem honesta tur-
piaque sunt, quae Sanctitati Dei & voluntati, quam ab aeterno de
humano genere gubernando concepit, conformia vel diffor-
mia existunt. Sanctitas autem & voluntas illa exprimitur le-
ge, quae moralis vocatur, quia norma quasi & regula, est ad
quam mores nostri ad mensurari debent: nam cum hi per se
indifferentes & indeterminati sint, talis norma desideraba-
tur, cum quae convenientes boni & honesti, difformes mali &
turpes vocari possint. Dissimulandum autem non est di-
ctam legem moralem ante lapsum Protoplastorum nobis fuis-
se naturalem, quod eleganter deduxit Himmelius *Synt. Dup.*
theologic. Diss. 15. lb. 20. *In Natura, inquit, integra idem omni-*
no fuit lex naturalis & moralis, sed in natura corrupta magna
pars legis naturalis per peccatum obscurata est, & tantum parti-
cula quaedam de aeterna obedientia in hominis mente reliqua man-
sit, quae Causa etiam primaria est, propter quam solennem legis
suae promulgationem ac restitutionem in mente Sinai Deus ipse re-
stituit. Ex quibus facile patet differentia quae hodie inter-
cedat inter jus morale & naturale; Quod illud scilicet plenam Dei
voluntatem referat, verumque Deum venerari rite doceat;
hoc vero minus plenam, Deumque in communi aliquam per na-
turalem discursum acquisitam cognitione colere inducat.
Namque impossibile est per naturalem hominis corrupti di-
scursum citra additamentum verbi revelati verum Deum in-
vesti-

B

vesti-

vestigari posse, veluti docet Dn. Magn. Ziegler in not. ad Grot. l. 1.
c. 2. § 6 p. 81.

§. 17. Igitur dum finis Juris naturæ desiderat, ut moraliter honesta faciamus, & turpia fugiamus, hoc vult, ut secundum rudera legis moralis in nobis reliqua & post toti humano generi præcepta voluntatem divinam manifestantia actiones nostras regulemus. Verum cum ex solo Jure Naturæ per proprias vires plenè moralem honestatem & turpitudinem scrutari & exequi non valeamus, ideò per inopiam & *advantiam* hujusmodi eò fortius ad legem moralem scriptam, & hinc demum ad Christum in verbò Evangelii manifestatum confugere, quæ si compellimur, Hinc pulchrè Gerhard *Comment. ad Epist. ad Rom. p. 50.* scripsit: Jus naturæ manducationem esse ad ulteriorem & uberiores Dei cognitionem, in verbò propositam, & Ecclesiæ revelatam.

§. 18. Terminos Juris Naturæ, quousq; se ejus obligatio extendat, omnium optimè deprehendere licet ex consideratione diversorum objectorum, de quibus quid jubet aut vetat. Diversitatem autem horum modum & limites obligationi ponere, & voluntatem divinam declarare videmus inter alia ex præceptis dilectionis, queis hæc Deo, Parentibus, Patriæ, sibi ipsi, & proximo exhiberi jubetur, & tamen in omnibus dilectionis modus certis gradibus determinatur. Generaliter autem objectum duplex, de quo Jus naturæ præcipit aut prohibet aliquid, constitui potest, Deus nempe, & Homo.

§. 19. Deo nos Religionem ex jure naturæ vel Gentium debere Imperator Justinianus rectè *in l. 2 ff. d. J. & J. prodidit.* Religio autem est scientia divini cultus, & habitus observantiae ejus, quò nos cum Deo revincimur & religamur, Nam officium inter patrem & filium, pietatem, inter libertum & patronum obsequium, inter hominem & hominem generali nomine officium, & inter Deum & hominem Religionem appellamus, uti Azo, *Com. ad Cod. d. inoff. test.* loqui amat. Verum, cum ea quæ directò Deo debeant ad altiorem Cathedram pertineant, ideò falcem ab alienam esse retrahentes materiam hanc Theologis dispiciendam relin-

relinquimus. Illud tamen non possumus non ad jungere, cum cultus divinus ex præceptis practicis consistens, velut: Deum colito, Deum diligit, naturalis sit, consequens esse, ut multò magis theoretica dogmata, quorum notitiam illa necessariò prærequirit, naturalia pronunciemus. Qualia sunt: Deum esse, *Nulla enim Gens*, Cicerone teste, *tàm fera, nemo omnium tam immanis est, quem non imbuerit Deorum opinio*, Item, Deum esse justum, sapientem, æternum, imò & unum: hujus enim dogmatis naturalem notitiam monstrare videtur Historia de Socrate, ob professionem hujus mortem sustinente, Aristotele, in agone Ens Entium invocante, Theodorò, & aliis, qui ultimus licet etiam Gentilis fuerit. Deorum tamen multitudinem ita ludibrio habuit, ut Herculem lignum lignis deficientibus Camino supposuerit, subinde ingeminans, age, Hercules, decimum tertiù laborem subiturus adesto obsonium nobis cocturus; monstrant idem quoq; testimonia aperta Platonis, Senecæ, Ciceronis & aliorum Gentilium, à Viris eruditis collecta; *vid. D. J. Martini im Vernunft-Spiegel lib. I. p. 49.*

§. 20. Illud quoq; inficias non imus, quòd præcepta hæc non omnia nobis sic naturalia sint, ut illa citra omnem sensum & mentis nostræ operationem comperta habeamus, sed quædam eorum profundius in mente humana latent, ut demum per aliqualem discursum, præsentaneum tamen, illicò assensum & necessariam conclusionem innotescant, quod infra plenius exponetur.

§. 21. Deinde secundò, quatenùs homini ex præceptis Juris Naturæ aliquid debetur, considerari is potest vel intuitu sui ipsius, vel respectu Societatis in qua vivit. Intuitu sui ipsiq; Jus naturæ amorem sui discretum præcipit; ex quò resultat corporis proprii conservatio, quod conservatur, si ei suppedi- tentur ea, quæ salutaria, & amoveantur, quæ noxia sunt. Salutaria autem homo per rectam rationem, tanquam directricem cæterorum affectuum, juxta insitam regulam suam naturalem corporis dispositionem dijudicare debet. Non enim omnia, ad quæ propellit, in citat & stimulat appetitus, prope- diem salutaria sunt: siquidem hic velut depravatus & corruptus,

ptus, si sibi relinqvatur, modum servare nescit, & in hac quidem parte homo deterioris est conditionis atq; cætera animalia, nam hæc ultra satietatem appetitu vix incitantur, nec veneris stimulos experiuntur nisi certo tempore, quò par est eorum individua multiplicari, & species conservari. Neq; ultrò nisi extrinsecus commota vel intrinsecus vitiò quodam exasperata speciem suam lacesunt injuriâ. Homo contra infinitò propemodum appetitu cibi potusve stimulat, & tantùm abest, ut nativa vitæ sustentandæ media, quæ Patria fert, appetitum expleant; quin potiùs exotica longè præferens illa nauseâ quâdam supinâ aspernere non dubitet, & cariiora, quæ rariora ipsi videntur. Sic stimuli quoq; & uestiones Venereæ metas in homine determinatas non habent, sed illimitatò tempore ei desideria excitant. Neq; infrequentius quoq; invidiâ, iracundiâ aliore affectu pravo corripitur, ut sic vigilantia homini omnino opus sit, quâ pravitatum hujusmodi phalangem sub rectæ rationis imperio continere valeat, ne reus fiat juris naturalis, cum juxtâ dictamen ejus corpus non conservet, sed destruat ilud & sui homicida fiat.

§. 22. Cum autem indirectò damnum corpori inferendo moraliter peccetur; multò magis peccabitur directò illud lædendo: Quod contingere solet inter alia se ipsum castrando aut castrationem spontè admitendo, quales proude rectè in Jure Canonicò sui homicidæ & inimici Dei appellantur *can. si quis abscidit. dist. 55. Nov. Leon. 60.* quia religio talibus non est creaturam Dei deformare, eamq; quasi refingere, & dona generationis gratiosè concessa extirpare. Nec relevat quidem rectè monente Jacobo de Graffis *Dec. aur. lib. 2 cap. 62. n. 64. p. m. 313.* si quis id ob bonum finem fecerit, ut eò melius castitatem servare possit, sicut de Origene refert historia Ecclesiastica. Nam bona intentio & bonus finis actionem vitiosam non potest efficere honestam & laudabilem, quia bonitas & honestas à formâ, quæ est convenientia actionis cum lege morali dependet. Hæc ergo cum absit, & actus per consequens intrinsece malus audiat, bonus & laudabilis per bonam agentis intentionem extrinsecus accedentem,

tem fieri non poterit. Unde licet Saul, Rex Israelis ex bonâ intentione holocausta Deo in monte Gilgal obtulerit; ut eum placaret, & sibi propitium haberet, atq; populo; nihilominus ob id acerrimè à Samuele reprehendebatur, uti liber hujus testatur.

§. 23. Proinde optimò Jure Hadrianus Imperator in l. 4. §. ult. ff. ad L. Cornel. d. sicar. capitale supplicium dicitur in eum qui se sponte excidendum præbuerit. Quam pœnam repetiit Constantinus M. l. 1. C. de Eunucho. Justinianus verò, dum Nov. 142. pœnam talionis in castratores, ut idem, quod aliis fecerunt & ipsi patiantur, sancivit, expressè quidem spontaneorum Eunucho mentionem non facit, neque Leo Nov. 60. ubi hanc pœnam tanquam inveterandam rursus abrogat; à capitali tamen supplicio non recessisse hos, si de tali casu quæsi fuerint, dubitandum non est. Neque distingvendum videtur hic, an quis se prorsus exciderit, aut tantummodo thlibias vel thlasias fecerit, cum ratione effectus hos omnes convenire liquidissimi Juris sit. Vid. l. 128 ff. d. V. S. ibiq; Jac. Gothof. ad d. Borholt. ad Inst. d. adopt. §. sed & illud.

§. 24. Demum propricidium & totalem nostri destructionem omnium maximè à Jure naturæ prohiberi dubiò caret. Nam quia nemo intelligitur Dominus membrorum suorum l. 13. ff. ad L. Aquil. sed DEO vivimus, qui nos in vitæ stationem posuit, quare invitò authore & Dominò vitæ nostræ stationem illam deserere non licet. Undè si facinus inchoatum, nondum autem perpetratum & corpus interemptum sit, talem tamen æternæ pœnæ meritò subiacere scripserunt Marcianus in l. ult. §. 6. ff. d. bon. eor. qui ante senten. & Ulpianus l. 23. §. 3. ff. d. adil. ed. additâ ratione, quod qui sibi non peperit, nec alius parciturus intelligatur.

§. 25. Porrò tenemur etiam Jure naturæ injurias externas à copore nostro repellere, quod quidem ordinariè per Magistratum & Superiorem fieri debet, quia DEUS per illud Jus omnes actiones nostras Judicio & arbitrio Magistratus subdidit, & per consequens etiam injurias per auctoritatem ejus vindicare jussit. l. 13. ff. quod met. causa. Si autem copia illius

nobis non sit, aut expectare istius auctoritatem periculosum
maximè videatur, propriò Marte sub moderamine inculpata
tutelæ salvare nos posse palam est.

§. 26. Itaque si quis injuriosè vitam nostram infestet,
aggressorem, etiam per internecionem nos posse repellere,
imò teneri, arbitramur, quia vitam suam linquere pro alio-
rum salute supra hominum affectum est, quo propriam salu-
tem periclitante vitâ nostrâ, cum alterius nobis magis com-
mendatam esse scimus: Et cum adversarius viam elegerit, con-
tra naturalem ordinem nobiscum procedendi, quare DEUS
quoque concessit contra naturalem ordinem supplicium de
eo sumendi. Natura enim docuit, per Magistratum non pro-
priò ausu experiri.

§. 27. Nec attendimus, quod objiciatur. aggressorem
simul etiam æterno subjici supplicio per occisionem. Relin-
quimus enim hoc iudicio divino, certum tamen est, nos inte-
reâ de propriâ salute securos esse non posse, tum, quia vim in-
justam propulsantes internè ab omni ira & pravò affectu vix
ac ne vix quidem puri esse possumus & solemus, tum &, quia
externè offendimus alios perverfos homines, invitantes pa-
tientiâ nostrâ malitiam eorum ad similia scelera deinceps
perpetranda. Et hinc, cum in ancipiti pendeamus, natura
nostra à tali patientia abhorreat, Deiq; voluntatem circa
casum hujusmodi non cernamus expressè, meritò propriam
salutem vitæ proximi anteponendam concludimus. Unde
Ictus Ulpianus l. 1. §. 27. ff. d. *Vi & vi armata* rectè scribit: *vim
vi repellere licere; & Paulus l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. vim vi de-
fendere omnes leges omniaq; jura permittere, & Florentinus, jure
hoc evenire, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure
fecisse existimetur. l. 3. ff. d. *J. & J.* Quibus optimè convenit il-
la, nota alias Ciceronis sententia pro Milon. §. 10. esse, inqvi-
tis, hanc non scriptam, sed natam legem, quam non didicimus, acce-
pimus, legimus; verùm ex ipsa naturâ arripimus, hausimus, ex-
presimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti su-
mus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut la-
tronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expe-
ditnda*

dienda salutis. Nec non aliud illius assertum, *ibid.* §. 30. hoc & rationem doctæ, & necessitatem barbaræ, & morem gentibus & feris naturam ipsam præscripsisse, ut omnem semper vim, quacunque ope possimus à corpore, à capite, à vitâ propulsaremus.

§. 28 Ex quibus facile patet, non tantum mortem minantem, sed & mutilationem corporis nostri intendentem, infinite quocunque modo propellere nos debere, si quidem alias talem injuriam effugere non valeamus, nec certo sciamus, an illa injuria mutilatione terminetur, regulariter enim vulnera ad mensuram infligi nequeunt, adeoq; nec sumus securi, quin vitam prorsus amissuri simus. Minor autem hic est dubitatio si persona aggressa singulari polleat qualitate, veluti si Republicæ insignem utilitatem præstet, aut multos habeat liberos, quibus & similibus casibus ea ad justam hujuscemodi defensionem magis instigatur. Qualitatem autem in aggressore tanti æstimandam non putamus, nisi parentis aut summi Magistratûs nomen & vicem gerat. Tum enim ab hominibus destituti divinum potius auxilium expectamus, intimius expetentes, ut DEUS ictus ita moderet, ne subita morte excludamur tempore cum aggressore nos reconciliandi, & placite beatèq; decedendi.

§. 29. Demum idem extendimus ad læsionem pudicitiae, hanc enim sartam tectam custodire, lex naturæ jubet, unde teste Augustino *l. 1. de lib. Arbitr.* lex Divina juxtaq; communis hominum æstimatio eam vitæ exæquat, nam ut Perez. *Comm. ad C. ad L. Cornel. d. Sicar. n. 40. fin.* testatur, hujus jacturâ in totam redundat familiam, resq; est omni æstimatione major, moræ prorsus impatiens, cum pudicitia semel amissa à Judice restitui non possit; Verum, quia cogitationes alterius internas propediem perspicere non possumus, hinc non facile ad extrema defensionis media dilabendum erit, nec in vasor pudicitiae prius interimi poterit, quam violenta injuria vires acceperit, isteq; ad prostrationem corporis, aut alia processerit, monente ita Balduino *Cas. Consc. lib. 4. cap. 1. cas. 15* cum aliis Moralistis. Quæ autem ad modum in defensione tali in genere servandum, quem moderamen inculpatæ

cu' patæ tutelæ vocamus, requirantur, ea *Carpz. Pr. Crim. qv. 38. n. 17. Berlich. p. 4. Concl. 12. seqq. Dn. D. Leiserus, Patronus noster observandus in dictat. public. ad L. Corn. de Sicar. l. 2. prolixè exposuerunt. Et hæctenus de homine quatenus est objectum sui ipsius.*

§. 30. Porro homo hominem in societate consideratum, variis modis ex præscripto Juris naturæ obligatum habet. Societas autem illa vel simplex vel composita est. Prior specie triplici, Maritali, Paterna & herili absolvitur. Maritalis societas inter Conjuges est, qui invicè vel debitò reciprocò vel singulari obstricti vivunt. Illud parit fides matrimonialis ad quam Conjuges ultrò citroq; obligati sunt, infucate & sincere usque ad vitæ tempus regulariter servandum. Matrimonium namq; dicitur §. 1. *Inst. d. P. P. conjunctio maris & fœminæ in dividuam vitæ Consuetudinem continens, quare fides hæc primò marem & fœminam obligat. Hinc inordinatæ & sodomiticæ conjunctiones tum ab ipso DEO à mundo conditò, tum plerisque gentibus, vid. Menoch. arb. Jud. qv. lib. 2. cent. 3. Cas. 286. in omnibus penè retrò seculis damnatæ sunt, & quidem non tantum, quæ cum animali brutò Deut. 27. v. 21. fiunt, sed & cum masculis cum masculis Genes. 19. v. 5. Levit. 20. v. 10. Rom. 1. v. 27. aut fœminæ cum fœminis Rom. 1. v. 26. consueverint. Imprimis verò leges Civiles l. 1. §. 1. ff. de extraord. crim. Item Lex Julia de adult. Inst. d. publ. Jud. l. 31. Cod. ad L. Jul. d. adult. hoc in passu vestigiis Juris divini acriter insistant, pœnam capitis, gladii scil. transgressoribus statuentes.*

§. 31. Adeò autem hæc propostera libido invaluerat olim in novâ Româ, ut masculi habitum, vultum, incessumq; muliebrem fingentes, hæc sub specie publicè nupserint, quam ob causam meritò expressa Constantini & Constantis constitutio d. l. 31. C. d. adult. vid. d. hac Jac. Revard. lib. 1. variar. lect. cap. 20. emissa est, tandemq; Valentinianus, Arcadius & Honorius Imperatores l. omnes Cod. Theod. d. adult. ignis pœnâ crimen hoc sanciverunt vindicandum. Cui demum Justinianus, Zonara teste, virilium amputationem adjecit. Sed Carolus V. Ord. Crim. art. 116. simplicem ignis pœnam retinuit, ita quidem,

quidem, ut si cum brutò crimen patratum sit, & hoc combu-
ratur, teste observantiâ & Dn. Struvio *Exerc. 49. thes. 42.* ubi
autem sexus tantùm mutatur, ibi pœnam gladii sufficere scri-
bit Dn. Brunnemann. *proc. Crim. c. 9. n. 48.* quod tamen cum
Caroli V. ordinatione minus convenire videtur. Cæterum
mollitiei crimen, quod Paulus *1. Corinth. 6. v. 9.* in suis Corin-
thiis taxat, arbitrariâ pœnâ, fustigatione scil. relegatione vel
mitiori coerceri debet, *testantibus Struv. Exerc. 49. lb. 43. Carpz.*
pr. Crim. qv. 76. num. 10. seqq.

§. 32. Porro, reciproca matrimoniali fidei conveniens
est, ut individua seu conjuges certi sint; nam inordinata ac
vaga libidines essentia atqve sanctitati divinæ, ac per conse-
quens Juri naturæ non possunt congruere, tum propter unita-
tem, in qua parte etiam homo ad Divinam quodammodo na-
turam accedere debebat; tum & propter confusionem boni
ordinis, cujus Author & Fautor DEUS est: cum istæ potius
opera carnis redoleant ex corruptissimâ hominum post la-
psum naturâ & instinctu diaboli resultantia, quæ tum cultus
divini ardorem refrigerant, & tantum non extinguunt, tum
etiam promptitudinem in officiis charitatis retardant. Ex
quo facilè apparet polygamia simultaneæ prohibitio. Nec
adserendum videtur quasi DEUS inhibitionem hanc huma-
næ naturæ postea inscriptâ jam lege naturali imposuerit.
Nam præter vetitum esum de Arbore boni & mali & diei se-
primi sanctificationem, quoad specificam hanc determinatio-
nem universo humano Generi nihil injunctum fuisse censueri-
mus: ne quidem prohibitionem matrimonii inter fratrem &
sororem; siquidem hujus vis multiplicatis demum homini-
bus se debebat exserere; id quod cum divinâ immutabilitate
non pugnat, quoniam istud ex nudò DEI beneplacito ob ex-
ternum finem, ut familiæ incontaminatæ servarentur, & Ge-
nus humanum magis magisq; propagaretur, nobis inscri-
ptum animadvertimus: atqve sic cum intrinsecus sanctitati
divinæ non adversetur, DEUS obligationem ejus præcepti su-
spendere potuit, ut contra facientes extra reatum vixerint,
licet ante dispensationem factam legem egredientes iudicio
& justitiæ divinæ obnoxii omninò censendi sint.

C

§. 33.



§. 33. Demum, fides hæc matrimonialis requirit, ut inter hæc individua quoque & indissolubilis ineatur societas. Hinc statim concubinatus turpido elucet. In hoc enim concubina primario ad libidinem explendam ad tempus tantum inducitur, prolis vero procreandæ studium citra affectionem maritalem secundario intenditur. Quò sanè modo matrimonio quis contra expressam constitutionem DEI abutitur, & aliã post ductã adulterium committit, amissæ adulterandi causam præbens. Et licet teste Ulpiano *l. 3. §. 1. ff. de Concub.* concubinatus per leges nomen sumserit, adeòq; extra pœnam legis sit, tamen Cujacium Romanos solidè non excusare existimamus, dum concubinatum matrimonio proximum esse, eosq; tantum eò uti solitos fuisse scribit, quibus matrimonium ducere ob apparatus & sumptus, quæ opus tum fuerit, grave acciderit, fiebat enim is sine ritu nuptiarum ex solâ animi destinatione, uti Paulus *Jctus l. 4 ff. d. Concub. l. 3. §. 1. ff. d. donat. inter vir & uxor.* loquitur. Siquidem quia Concubinitus cum lege DEI, naturæ humanæ intrinsicè præscriptæ, pugnat, hinc apud homines extra pœnam esse vix poterit, ut qui in eo sicuti DEUS dispensare nequeunt. Sumptuum autem evitatio in solennibus nuptiis, & aliæ concubinitus commoditates extrinseca consideratio est, quæ propterea intrinsicè turpitudinis qualitatem mutare neutiquam potuerit; Cum autem tales apparatus Reipublicæ graves fuerint, cur à Magistratu antiquati non sunt, cur maluerunt Concubinitum ad tempus tantum, prout perversa cujusq; libido (valeat) durantem permittere? Quare non immerito miratur Johann. Jacob Wissenbach *Disp. 1. n. 18.* quod Justinianus tanquam Christianus Legislator meretriciis legibus fibulam hoc modo laxaverit, quod eò magis mirandum, quod postea Imperator Leo *Novell. sua 90.* concubinatum penitus è republ. tollere atq; damnare potuerit.

§. 34. Propius adhuc vero matrimonio accedere videtur concubinitus Jure Canonico *c. is qui. 4 dist. 34. c. Christianus dist. ead. can. solet queri XXXII. 9. 2. c. dicat aliquis 9. XXXII. 9. 4.* permissus, ut qui inter solutum & solutam ad mortem

mortem usque perpetuari debet, de quò *Carpz. Pract. Crim. Part. 2. q. 20. n. 40. Et Jurispr. Consist. lib. 4. tit. 14. def. 2. 3. 5.* fufius testatur. Rectius tamen à nostratibus omnis conjunctio extra legitimum matrimonium injusta pronuntiatur, & propterea transgressor pœnâ ordinariâ coercetur.

§. 35. Singulatim maritus Uxori debet sustentationem & defensionem, uxor contra marito tanquam capiti familiæ obstricta est debitâ reverentiâ, quæ cum primis in honore externò & consensu illius atque autoritate in negotiis majoris momenti adhibendâ consistit. Licet autem marito denegata hac reverentiâ aliqualis correctio seu redargutio permitenda sit, in gravioribus tamen uxoris delictis, ubi damnum in totam simul Rempublicam in quâ Conjuges vivunt, redundat, adeundus est princeps Reipublicæ, cui cura ista & potestas suprema competit, ex quibus apparet, ultra terminos Juris divini protensum fuisse institutum Romanorum veterum jus vitæ & necis maritis in uxores permittentium. Qualem legem à Romulo latam, & postmodum inter LL. XII. tabb. relatum fuisse testatur Conradus Rittershusius *Comment. ad LL. XII. tabb. l. 5.* quamvis inter fragmenta eorundem à Gothofredo edita non reperire potuerimus. Nec excusatione & patrocinio firmò Petrus Gudelinus *de Jure Novis. lib. 1. c. 7. p. m. 13.* instituta istiusmodi defendit, dum per ista demerentibus tantùm Conjugibus domi supplicium sumere, ac domestica animadversione crimina eorum vindicare licuisse scribit. Quæ enim pœna criminibus admittis proportionatæ & commertæ sint, supina mariti Zelotypia perpendere non sinit, & proinde facile innocenti sanguine gravari provincia posset, quod magistratus per diligentem in commissa factam inquisitionem evitare faciliùs potest ac debet.

§. 36. Secundum alteram societatem simplicem inter parentes & liberos obligat primò Jus naturæ parentes ad debita liberis alimenta exhibenda. Hæc enim non ex honestate tantùm, ut Grotio *d. Jure B. & P. lib. 2. c. 7. §. 2.* videtur, liberis debentur, sed ex ipsa necessitate & obligatione intrinsecâ Juris naturæ, Nam contra naturales stimulos facit atque pietatem,

tatem, qui alimenta liberis denegat, uti Paulus Laymannus, Theolog. moral. lib. 5. tract. 60. part. 3. c. 5. n. 8. scribit. Quamvis in hoc non faciamus cum laudato moralium Doctore, quod liberè parentibus quandoque filios spurios alienæ liceat exponere misericordiæ, ut ita cum crimen tum pœnam & infamiam occultare evitareq; possint, dummodò cauti sint, ne proles frigore vel aliò accidente moriatur. Tales enim parentes homicidii Reos pronunciamus, quia quantum in eis est negatione naturalis & debiti nutrimenti partum interimunt. Quod docemur etiam à Jcto Paulo, qui in l. 4. ff. de agnosc. & a. l. 1. lib. necare, inquit, videtur non tantum is qui partum profecat, sed & is, qui publicis locis misericordia causa, quem ipse non habet, exponit. Atque hinc per Concilium Gangrense non hæreanathemate notantur, qui filios proprios dereliquerint, nec quod pietatis est, necessaria præbuerint, sed sub occasione continentia negligendos putaverint Can: si quis dereliquerit 14. dist. 29. Neque enim peccat solum prolem prorsus deferens, sed & qui ei in necessitatibus aliis non subvenit, velut qui filiam nupturam ad sustinenda matrimonii onera pro personæ dignitatis & facultatum ratione dotare recusat. Jacob. d. Grassius. aur. decis. p. 1. lib. 2. c. 19. sequ.

§. 37. Quoniam verò homo non tantum, ut corpus curet & servet tanquam ultimum finem à DEO conditus est, sed potius ut cultus debito veneretur Creatorem suum; talis autem cultus non omnis post lapsum naturalis, sed per insectam manifestationem divinam homini mediante Sacra Scripturâ clariùs exhibitus sit. Igitur cum sic naturaliter dirigantur parentes ut liberos ad rectè vivendum instituant, & enixa bona eis communicent, hinc rectè concludimus eos etiam naturâ teneri ut præcepta divina eos doceant, aut liberos aliis informandos commendent, ut ita non vivere tantum, sed benè & virtuosè, hoc est, ad laudem & voluntatem Creatoris atque in Commòdum publicum vivere, in eis propagetur; Quod optimè intellexit Consiliarius quondam Alexandri Severi & deinde Præfatus Prætorio Ulpianus, dum scribit l. 50. ff. famil. Excise. Quæ pater filio emancipato studiorum causa

causa peregrè agenti subministravit, si non credendi animo pater mis-
siffe fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus in rationem portio-
nis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari,
æquitatem non pati.

§. 38: Atq; quia liberorum mores haud rarò salutaribus
parentum monitis reluctantur, hinc ipsis naturaliter quoque
iusta coercitio & castigatio debito tempore modòq; adhiben-
da injungitur *l. 3. C. d. patr. potest. l. un. C. d. emend. propinquis*:
Malè autem patria potestas ad Jus vitæ necisq; à quibusdam
gentibus protensa est; prout de Romanis Romani Jcti, de
Gallis antiquis Julius Cæsar, de aliis alii testantur. Et quidem
de Romanis testatur Halicarnass. *lib. 2. Antiquit.* quod vi Pa-
triaz potestatis licuerit filium loris cedere, ergastulo include-
re, vincum habere ad opera rustica; imò occidere quoque
& ternâ vice vendere, *l. ult. C. d. patr. potest. l. ii. ff. d. lib. &*
posthum. LL. XII. tab. tab. IV. ibiq; Gothofred. p. 73. Quem ex-
cessum in ultimis imprimis effectibus sequentes Legislatores
propediem animadverterunt, & hinc potestatem occidendi
ita limitaverunt, ut filius inobediens primum à patre possit
castigari, siq; is in pari contumaciâ perseveraverit, tùm eum
Præfidi provinciæ sistendum sanciverunt, qui sententiam se-
cundum patris voluntatem dicat, *l. 3. C. d. P. P. & sic atrocita-*
tem legis pristinae in pietatem converterunt l. 5. ff. ad L. Pomp.
& parricid. quod ipsum à dispositione divina non dissonat,
Deut. 21. vers. 18. cum 3. seqq. Ita quoque potestatem venden-
di restrinxerunt per interpretationem benevolam, ad imagi-
nariam solum venditionem, & cum quidam liberos vere rur-
sus vendere tentaverit, id per Diocletianum *l. 1. C. d. his qui lib.*
distrax. severè prohibitum est, donec Constantinus *l. 2. C. d. t.*
ob famis periculum vel crebras infantum expositiones vitan-
das, permisit filium sanguinolentum vendere, quod tamen
sub conditione reluendi intelligendum erat *Jacob Revardus ad*
LL. XII. Tab. cap. 3. Olander ad Grot. de J. B. & P. p. 730.

§. 39. Porrò parentes etiam Jure naturæ adstricti sunt
eos quos genuerunt ab externâ vi & injuriâ ritè defendere.

Quousque autem hæc defensio se debeat extendere Magistrar-
tui pro populi moribus & utilitate totius Civitatis determi-
nare incumbet.

§. 40. Contra liberi debent parentibus reverentiam,
quæ consistit in honore & obsequiò. Honor ex tacitâ vene-
ratione & expressâ convenientiâ; observantiæ significatione
constat, cujus terminos Romani speciatim in aliquibus casi-
bus expresserunt, veluti quod Pater à liberis ob crimen publi-
cum, paucis exceptis, neque eat accusari, neque in Civilibus
Causis sine permisso Prætoris in iudicium vocari & similibus.
Obsequium verò authoritatem parentum & consensum in
præcipuis negotiis adhibendum respicit. In levioribus au-
tem, quæ nullum præjudicium familiæ vel alterius implicant,
parentes tacitè consentire censentur. Verùm ista quoque
obligatio liberorum erga parentes sufflaminatur quandoq; à
fortiori Juris naturalis distamine: Velut si præceptum paren-
tum concurrat cum præcepto DEI, eidemq; directò adverse-
tur, nam tum voluntatem parentum posthabere decet, quia
DEUM supra omnia venerandum novimus, aut si est contra
munus à DEO vel mediatè vel immediatè filio impositum: aut
etiam si est contra affectum naturalem validiorem sive ^{supra}
implantatam: velut si obsequium eorum descendenti-
bus no-
stris damnosum sit, cum ipsâ naturâ duce amorem fortius de-
scendere quàm ascendere in propatulò sit.

§. 41. Imprimis vero & singulariter authoritas paren-
tum in nuptiis liberorum requiritur, nam licet in hoc negotiò
Consensus liberorum contrahentium quoque desideretur, hic
tamen paterno iudicio est subordinatus, *uti protixè B. Gerbar-*
duus n. 60. seqq. cum aliis Theologis docet. Hinc etiam rectè Impe-
rator noster dicit *pr. Inst. d. Nupt. l. 2. l. 18. l. 35. ff. d. R. N. l. 2. C.*
d. Nupt. in tantum parentum Consensum requiri in nuptiis li-
berorum, ut Jussus eorum præcedere debeat. Julianus *J. C. r.*
in l. 18. ff. d. R. N. nuptias inter easdem personas nisi volenti-
bus parentibus etiam renovatas, justas non haberi dicit.
Spretâ autem parentum authoritate nuptias liberorum theo-
ricam veritatem intuentes irritas esse arbitramur, adeò, ut si
isti

isti à Jure suo desistere nolint, iterum dissolvi debeant, etiamsi consummata fuerint. Quicquid enim in se & per se illegitimum est, adversans divinæ dispositioni (undè tamen actus boni formalitatem accipere debet,) illud per copulam non magis legitimū bonum & firmum fieri potest: absurdum enim est, uti *Donellus Comm. lib. 13. c. 21. dicit* eum qui peccavit ad eam rem novò adjuvari delictò Quibus accedit, quod DEUS velut author ipsius matrimonii & omnis divini juris id ipsum, cum iustione generali tum speciali, tum peculiari casuum decisione, tum etiam exemplorum in sacris literis diligenti notatione quasi canonitaverit, uti docet idq; dictis Biblicis illustrat *B. Gerb. d. l. n. 59.* Ut taceamus, quod filius uxorem ducens partem quasi familiæ paternæ imò ipsius patris quodammodo faciat, ut sic illius consensum omninò prærequirere debeat. Interim tamen non diffitemur, eò casu, quò liberorum nuptiæ copulâ firmatæ sunt, Parentes ad consensum post interponendum persuaderi, aut compelli etiam pro re natâ posse, imprimis si personæ sint æquales, parentes sententias dissentendi causas non habeant. Nam *Ulpiano l. 1. fin. ff. d. lib. ex b. b.* dicente, benè convenientia matrimonia Jure patriæ potestatis turbari non debent. Ut sileamus varias calamitosas incommoditates quæ dissolutionem talem insequi possent.

§. 42. Vindicandum verò jus nostrum Civile hæc in parte ab omni Calumniâ est, quasi in nuptiis liberorum necessitatem Consensus materni sperneret, nam decisiones ejus pleraq; sunt conceptæ de casu quo parentes utriqve in vivis sunt, ubi patris autoritas omninò prævalet, quia mater & hujus potestati subordinata est. & consensus illius radiis paternæ autoritatis quasi obfuscat. Ubi autem pater morte obiit, tum resplendet potestas matris, uti patet ex Constitutione *DD. Honorii & Theodosii l. 20. C. d. Nupt.* qui quidem cognatorum quoque consensum per providentiam quandam Civilem requirunt, ut scilicet liberis eò pingvius consulatur, cum matres judiciò in becilliori fretæ affectibus non rarò plus nimio in perniciem liberorum indulgere soleant.

§. 43.



§. 43. In tertiâ simplici societate jus Gentium porrò obligationem induxit inter Dominum & servum. Domino enim dedit potestatem circumscribendi voluntatem servi, prout sibi necesse & utile videtur. Licet autem talis potestas contra naturam introducta videatur, propterea tamen contra jus naturæ esse, dici neutiq̃vam potest, præsuppositò corruptò hominum post lapsum statu. Contra naturam enim est, tum (I) quia statui primævo libertatis, in quò homo conditus erat, adversatur. Nam DEUS uti benè notavit Hugo de Roy *tract. de eo quod justum est lib. 1. tit. 5. p. 66.* primùm in Adami, deinde in Noachi persona, posteritati rerum omnium concessit Dominium, exceptò homine, in quem nulli dominium dedit, sed hanc nobilissimam inter creaturas speciem ad sui laudem reservavit. tum & (II) quia cognationi, quam natura, teste Florentino, *l. 2. ff. d. 7. & 7.* inter omnes homines constituit, contrariatur. Servitus enim oritur ex bellò, bellum autem contra naturam per insidias Satanæ & corruptam carnem nostram mundum intravit, ut Ulpianus *in l. nostra 4. ff. de J. & J.* rectè dixerit, cum jure naturali, i. e. juxta statum primævum omnes liberi nascerentur, Servitutem postea invasisse.

§. 44. Secundùm Jus naturæ autem Servitutem introductam esse, patet ex defensione nostri nostrorumq̃, nobis ab illo demandata. Ast, cum defensio semper offensionis modum respicere debeat, offensio autem tunc cesset, cum adversarius aut victus, aut ad eas angustias redactus sit, ut amplius obesse nequeat, adeòq̃ & tunc cessabit defensio. Relatorum enim natura est, ut se mutuò ponant & tollant. Sed licet hostis viribus fractus sit, animi tamen rancorem propediem positurus non est: quare eum, ut, eò securiùs nostris prospiciatur, in eâ servemus necessè est conditione, ut nocere nequeat, qualis conditio ei imponitur circumscribendò voluntatem ejus, ne agere possit quod velit, sed quod nobis non displicet, quæ circumscriptio variè à variis Populis expediri solet. Sic apud Germanos eos plerumq̃ve carceribus includi scimus, & postea pace compositâ aut induciis factis pro certò lytro suis redimendos, aut pro aliis captivis permutandos sisti. Romani verò

verò quondam, & plerique populi, victum hostem omnibus
exutum civitatum juribus, duntaxat servitiis mancipatum dede-
runt, ut ita quibusvis nocendi viribus privetur. Et sic ne-
cessitatem coercendi hostem Gentes verterunt in utilitatem
per servitutem aut litrum eorum bonum publicum promo-
ventes.

§. 45. Ex quibus evidens est, potestatem Dominicam
& servitutem formaliter ex Jure naturæ non profluxisse, sed
ex providentiâ quadam & solertia civili. Illud enim hoc jubet
tantummodò, ut superiores sibi subjectos & commendatos
ab injuriâ aliorum securos præstent, quousq; offensio instet
& timenda sit. Modus autem inducendi securitatem dispo-
sitioni civili relinquitur, nec interest, an hic per carceres aut
servitutem, aut alio modo inducatur, dummodò quantum pos-
sibile est, innocens non perimatur, & nocens indignâ pernicio-
sâq; libertate donetur: nam impetrare à nobis non quimus,
quin credamus, eum contra jus naturæ agere, qui justis cir-
cumstantiis consideratis eum non perimit, qui nocere omni-
bus potest ac intendit: Ac contra qui occidit eum, quem of-
fensurum non est probabile.

§. 46. Sin autem videamus rancorem in victo depofi-
tum, tantumq; abesse ut ab illò Respublica mali quod metu-
endum habeat, quin potius eum bonum speremus civem eva-
surum, tum Jus Naturæ rursus vult, ut is è potestate dimitta-
tur. Peccare namq; illum, qui alterum ultra meritum in du-
riori servitutis conditione relinquit, nobis prorsus per-
asum habemus, à quò etiam legem forensem Israelitarum *Exod. 21.*
v. 2. seqq. parum recedere ex sacrò Codice edocemur, Et hinc
manumissiones prodierunt, quas Romani populiq; alii certis
postmodum definiverunt limitibus. Interim verò, cum ser-
vus sub victoris sui potestatem venerit, aut ab hòc sub eòdem
jure in potestatem alterius translatus fuerit, Domino suo ser-
vile debet obsequium, quod à magistratu civili, prout hone-
stas & reipublicæ utilitas exposcit, quoque determinari
solet.

D

§. 47.

§. 47. Ulterius Juris naturæ dictamina se exhibent in
compositis & perfectioribus societatibus, quas Civitates ap-
pellamus. Enimverò hæ ipsæ ex obligatione naturali initæ
sunt, quod sapientia divina ita disposuisse videtur, ut alter al-
teri justas ferat suppetias, pleniorẽ DEI cultum invicem
prosequantur, & charitatis opera liberaliùs in laudem Creato-
ris exercent. Deinde cum post lapsum imbecillitas humana
immediatũ DEI imperium in terris haud ferret; Providen-
tia autem divina imprimis corruptõ hominum statui consu-
lere & iniquitatibus obviam ire voluerit, principes tanquàm
Vicarios suos societatibus præfecit, qui pleniùs & planiùs
præcepta Juris naturæ per ulteriorem deductionem & deter-
minationem, juxta salutem & utilitatem cujusvis societatis &
Civitatis magis dilucidant: Atque iis characterem quasi di-
vinæ suæ Majestatis impressit, ut timerentur & religiosius ob-
servarentur. Quinimò, quotiescunque Principes personæ
mortem obeunt, DEUS aliis à multitudine præsentatis & ele-
ctis majesticam potestatem tribuit. In populõ enim non
residet vis activè rectiva & Gubernativa, sed inclinatio passi-
vè regibilis, & gubernabilis, quæ volens & lubens se submittit
Rectoribus. Hinc rectè differit Marcus Antonius de Domi-
nis, de Regim. secul. & Eccles. tom. 2. c. 2. lib. 6. n. 19. *Autor natu-
ræ DEUS qui propensionem multitudini dedit ad hoc ut regatur,
dat etiam potestatem rectivam suõ locõ certis hominibus, quos ipsa
ut plurimum sibi eligit multitudo & deputet. Propterea verò illa
deputat & eligit, quia sentit esse necessarium, ut regantur, non au-
tem quia in se potestatem rectivam habeat. Idemq; Paulõ post
exemplis declarat: ut matrimonio, inquit, vir sit mulieris caput,
non à muliere, sed à DEO. Ita populus in capite assumpto majesta-
tem agnoscit, non quam ipse per actum illum translativum contulit,
sed quam caput hoc politicum immediatè à Deo, ut fontali secularis
potestatis lumine per irradiationem quandam accepit. Vel etiam,
uti Magnif. Dn. Ziegler Disputat. 1. de Jurib. Majest. thes. 20.
argumentatur: Quemadmodum minister Ecclesia eligi quie-
dem potest à populo, atque immediatè eã electione potestatem
docendi*

docendi, administrandi Sacramenta solvendi & ligandi accipit, sed non ita, quasi potestas illa fundamentaliter, radicaliter & habitualiter fuerit penes populum, quae ita immediate in Ministrum translata fuerit, sed potestas haec vi promissionis à Deo postea electo subiecto accommodatur; eadem ratione & populus in societate Civili non applicat imperium personae, sed personam imperio, quod conferre scilicet destinavit Deus personae ita electae: *Add. Strauch. Dissert. d. Statut. à summo Princ. tb. 3. § 4. laudatus Dn. Ziegler. ad Grot. p. 126. seqq.* Atque ad hosce Civitatum Principes obsequiose devenerandos Jus naturae subditos obligat, sive isti boni, sive iniqui & impii fuerint. Enimvero non qualitas acquisitionis aut usurpationis, sed ordo & status principalis quatenus à Deo, hic considerandus est, atque licet non semper regnent ex Deo, à Deo praesunt tamen, ut qui principes constituere improbos & bonos & constitutos potenter deponere dicitur. Semper tamen praesupponimus talia superiorum praeccepta, quae divinae Voluntati non adversantur, & factu sunt illicita, non tantum perpetuè iniqua qualia ad obediendum obligare nequeunt. De quo late & eleganter disserunt Reinking. *d. Reg. Sec. & Eccles. lib. 1. d. 1. c. 2.* & Robert Sandersohn *Tr. d. Conscient. pralect. V. n. 7. seqq.*

§. 49. Ita porro, cum propter amplitudinem imperiorum iustitia cuivis non ita commodè potuerit impertiri, nec Salus Reipublicae obtineri & servari, jus naturae intrinsecus mortales direxit ad eorum divisionem: Cui accesserunt postea aliae rationes, par scilicet & aequale Jus liberorum in imperiis paternis, libido imperandi, & inde secuta tyrannicae invasiones atque similia. Perque eundem modum dominia terrarum successivè ab istis discretis invicem gentibus quoque occupata ac singulariter applicata fuerunt.

§. 50. Divisis sic imperiis multitudo hominum simul pro partibus indivisis orbem terrarum possidere desiit; Sed corpore iam occupabat, quod animo tenens tenuerant hactenus (loquimur autem magis de rebus soli: mobiles enim citius applicata singulatim, aut à superioribus subditis instar peculiariorum

liorum assignata vel sibi attribui permessa fuisse, extra contro-
versiam ponimus. Quibus divisionibus imperiorum & Do-
miniorum factis, Deus per Jus naturæ homines simul direxit
& obligavit ad regna & agros particularim terminandos, ut
sic Divina Sapiencia & Justitia eò clariùs inter mortales re-
splendescat. Cum verò hominis corrupti hæc naturalis in-
doles sit, ut appetat aliena, suis nunquam contentus bonis,
hinc invasione in alterius proprietatem factâ, defensioneque
justò secutâ, duella & bella, vel inter singulos, vel inter familias
vel civitates vel integras gentes exorta sunt. Ad meliorem
autem nostri defensionem videmur in naturâ ipsa & per jus
naturæ intrinsecum affectum hausisse, casas & domos ab de-
inde, quia ad societatem eadem lege obstricti sumus, totas urbes
extruendi: Id quod superiores postea inter subiectos pro to-
tius societatis utilitate, elegantius & securiùs adornare coepe-
runt & debuerunt etiam. Nam cum hi subiectos sibi tenean-
tur tueri obligati simul sunt à natura prodita usurpare mè-
dia, quæ defensio commodius expediri potest.

§. 51. Demum cum Gentium multitudo in universo ter-
rarum orbe dispersa steriles quoque Regiones sortita fuerit:
aut annona Regionis per externam calamitatem enervata in
paleas abierit, incolis inopiâ relicta? aut etiam cum una regio
dives extiterit eorum, quæ alius incolæ desiderant, ex his & si-
milibus causis commercia & contractus dimanarunt. At ve-
rò hos non ex arbitraria Gentium determinatione, sed
ex directiore & lumine Juris naturæ devenisse putamus. Nam
sicuti egenum petentem ex copiâ nostrâ portionem quâ se
suosque sustentare queat expertem nostri auxilii dimittere
non possumus, quin in reatum contra dilectionis legem inci-
damus: eodem modo Genti exposcenti, ut nostra abundantia
sublevemus ejus inopiam, non debemus non succurrere, nisi
forte an nobis nostrisque exinde proprium damnum & dispen-
dium probabiliter possit exurgere, quod curæ & providentiæ
ejusque regionis superiorum relinquitur, Nam propria salus
arctius quam aliorum utilitas illis demandata est. Cum verò
& illa

& illa gens, quæ nostra expetit, quoq; rei alicujus ubertate flo-
rere queat, quam aut necessitas penes nos efflagitet, aut appe-
titus desideret, hinc non tam svadet naturalis æquitas, ut res &
merces inter se permutentur, sed & imperat illud, quoad pe-
tentes & desiderantes instant: & quidem ita, ut justa inter eos
proportio seruetur & æquitas, quisq; enim tenetur Societati
suæ in qua vivit potius prospectum ira, & necessariis utilibusq;
rebus juvare eam: cum cura hujusmodi & industria in suorum
& propriam cujusvis utilitatem redundet. Proportio autem
inter merces, cum justa desideretur, hinc si quis futiles & adul-
teratas merces pro bonis aut alienas pro propriis dederit ac-
cipienti naturaliter actio de dolo aut culpa competit, Quò ca-
su Jus Civile postea ex speciali dispositione actionem de evi-
ctione & ex ædilitiõ edictõ prodidit.

§. 52. Cùm autem in permutatione hoc inconueniens
acciderit, ut cum alter haberet quod alter desideraret, hic in-
vicem non haberet quod ille vellet, ideò naturali ratione svade-
nte electa materia est, cujus publica & perpetua æstimatio
difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subve-
niet, eaq; materia formã publicã percussa usum dominumqve
non tam ex substantia quàm quantitate præbet; nec ulterius
merx utrumqve sed alterum pretium vocatur, ut latè & elegan-
ter *J. C. Paulus l. 1. pr. ff. d. contrab. empt.* scripsit. Atq; hac ra-
tione emptionem venditionem quatenus ex certo pretio cer-
ta merce & consensu perficitur, rectè Juri Gentium adscribi-
mus. An autem pretium id per signationem aut appensionem
in commercium deduci debeat, id ex dispositione Civi-
li est.

§. 53. Porrò Legatorum munus meritò dicitur esse Juris
Gentium aut Naturalis, Deus enim hominibus impresit so-
cietatem inter se, amicitiam & consortium inire, ad quod sanè
neesse est, non arbitrarium, ut invicem mittantur qui animi
conceptus & desideria exponerent Nam ut superiores in im-
periis omnia cum exteris negotia ipsimet expediant, alia lex
naturalis prohibet, quã intermittere omnia jubentur queis
suorum



suorum Gubernatio impediatur, aut ipsimet cum detrimento
societatis suæ cui præsumunt in periculum vitæ induci queant. | Et
cum cujusq; principis interfit, ut Legatus suus liber ab omni
injuria proficiscatur, & mandata sua expleat, hinc etiam ex
communi principiò practico, quod tibi non vis fieri alteri ne
feceris, non potest non secundum rectam rationem velte, ut al-
liorum nuncii libertate omnigena freti spartam suam obeant.
Quod naturale præceptum postea civilibus legibus & obser-
vantiis magis magisque vallatum & determinatione certarum
pœnarum in malitiosos transgressores firmatum est.

§. 54. Hæcque possent etiam in aliis exemplis deduci, sed
cum in antecessis paulo prolixiores fuerimus, veriti, ne pagel-
larum numerus nimium excreseat, filum hinc abrumpiamus;
Coronidis tamen loco ea clarius, quorum hætenus sparsim
meminimus, sumus explicaturi: Scilicet, arbitramur Imper-
ratorem Justinianum duplex tantummodo Jus homines pro-
priè ac directò concernens proposuisse, Naturæ scilicet quod di-
vinum, & Civile quod humanum est. Nam & duplex tan-
tum causa efficiens Juris, seu Legislator Deus nempe & ho-
mo reperitur. Prius autem sæpius appellat Gentium Jus,
quia omnes Gentes seu totum Genus humanum obstrictum
tenet. Peculiare verò Gentium Jus, quale communiter de-
scribitur, distinctum à Jure naturali & humanam originem
habens juxta laudati Imperatoris mentem, nullum agnoscen-
dum esse putamus.

§. 55. Nec obstat quod Imperator §. Jus autem. Inst. d. 7.
N. G. & C. dicit: Gentes usu exigente & humanis necessitatibus
jura quædam sibi constituisse: hæc enim verba non constitui-
vè sive nomotheticè intelligenda sunt, quasi Gentes propter
has vel illas causas ex libero quodam arbitrio jura certa sibi
sanciverint; sed subjektivè, quod se non debuerunt non hujusmo-
di Jura exercere, ut quæ jam jam in cordibus eorū per Jus na-
turæ ad se suaq; sustentandum & socialem statum conservan-
dum fundata est. Ob communem autem hominum neces-
tatem

tatem & utilitatem Jus Gentium constitutum dicitur, respectu Dei, cujus divina providentia propter hanc causam id hominum naturæ impressit. Id quod apparet ex descriptione Juris Gentium, quæ describitur, esse quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Sin ergo hoc naturalis ratio constituit, non defluxit ab arbitrariâ hominum determinatione ob externam quandam necessitatem aut utilitatem. Naturalis namque ratio dicitur aliquid constituere, si id ratio ex insitis sibi à Deo principiis naturalibus necessario infert, & concludit, siquidem ea quæ Deus hominis intellectui impressit, non posita sunt in illius arbitrio, an servare velit vel non, sed obligant eum ad omnino servandum, si modò circumstantiæ præstò sint omnes, quæ dictamen tale requirunt.

§. 56. Interim hoc inficias non imus, non omnes conclusiones & præcepta naturalia uniformiter manifesta nobis esse, sed aliquas profundius in nobis latere, ita ut sollicita quædam ratiocinatio ad veritatem earum eruendam desideretur, cujus quidem causa non est ratio legislationis & impressionis divinæ, quæ clara & evidens satis facta est, sed status corruptæ nostræ naturæ, quæ particulae hæc divinæ sapientiæ & justitiæ graviter depressæ jacent, ut hinc tantò labore ad eos rursus eruendas opus sit. Igitur, licet non diffiteamur, dari in homine principia statim nota, dari illationes necessario propediem concludentes: dari & Conclusiones non nisi ulteriori & subtiliori ratiocinatione veritatem nobis manifestantes, attamen cum horum unum principium sit una veritas, divina scilicet voluntas, ejusque in corda nostra impressio, ideò & concludendum videtur, unum esse Jus naturæ seu Gentium; neque secundum qualitatem nostræ capacitatis, quæ vel sine singulari mentis agitatione, vel cum quodam rationis discursu veritatis æternæ certitudinem consequimur diversa Jura constitui debere. Quæ omnia cujus vis eruditi ulteriori deliberationi & judicio maturiori committimus, rogantes interrim B. L. officiosè & amicè ut in his candorem & humanitatem suam nobis impertiat, nos ejus favori & affectui commendatos cupientes.


SOLI DEO GLORIA.

Sic Jus Naturæ nostris exponis Athenis
GLEICHMANNE, & mentis das mo-
numenta tuæ?

Quantò res major, tantò majora decora,
Auguror, his studiis Patria chara parat.
Tempus erit, quando Proceres potioris ab-
ollæ
Præmia donabunt sorte nitente Tibi.
Ut quorum clara hîc vestigia laude secutus,
Illorum titulos æquiparare queat.

MICHAEL VVALTHERUS,

P. P. & h. t. Acad. Rector.




SOLL DEO GLORIA

X 2615927

W 07







B.I.G.

Farbkarte #13

O JURIDICA
DE
ENTTIUM
IANEO

cult. & IV.LL. seqq.
J. & J.

vam
CO JCTORUM, qui hic est,
DINE
RÆSIDIO

NIS CAROLI
EVII,

ectoralis Protonotarii,
orum promotoris observanti
u colendi,

mini ad Diem XI, Octobris
rio Jctorum,

mittet
STOPH Gleichmann /
Dresd.

EBERGÆ,
ENCKELII, Acad. Typogr.
DC. LXXVI.

Arz.

g. M.

4

